



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus XIII. De præscriptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

adus peculiari aliqua lege irritus sit declaratus. *Valent. q. 6. p. 5. §. 2. Rebell. Par. 2. l. 12. q. 2. Salas dub. 26. n. 4. Emm. Sa. V. Lu. du. n. 9. Tanner. III. D. 4. q. 6. n. 308.*

VII. Ad restitutionem rei per ludum obtentæ tenetur 1. qui alium fraude, aut violentia ad ludendum compulit. 2. qui inter ludendum fraude utitur 3. qui ludit cum eo, quem scit non habere dominium, vel liberam administrationem bonorum: quales sunt filii in parentum potestate cõstituti, pupilli, prodigi declarati, alienorum bonorum possessores, regulares professi, & similes, de quibus multa & utilia. *Mol. Salas. Sanchez. Lessius. Laym. Filliutius. Petrus à S. Ioseph l. 4. de iust. c. 12. & cum primis. Az. III. l. 5. c. 25. Nihilominus lucrari posse, si bona fides adsit, etiam illos, qui amittere non poss. Bonac. & alii doct. ap. Lugo. D. 31. S. 3.*

VIII. An teneatur restituere, qui lusit

certò scient, se propter eminentem peritiam suam victoriã positurum, controversa est, in qua DD. non conveniunt. Communior opinio est ad restitutionem teneri, eò quod in tali statu inæqualitas sit inter ludentes, nec ullum in se periculum suscipiat peritissimus lusor. Si autem hanc eius peritiã adversarius norit, & nihilominus in lusum consentiat, nulla erit restituendi obligatio, sed suæ levitati damnum imputare debet, qui cum fortiori hoste certamen ultrò suscepit. Idem dicendum est, si ab aliis monitus de periculo, non acquievit. *Mol. D. 517. Less. c. 26. D. 5. Rebellus, Medina. Po. Ledesma. Salas. Az. lo. cit. Cardin. Lugo Disp. 31. Sect. 2. §. 4. Fill. tr. 37 c. 8. Contrariam opinionem tuetur Decius consil. 115. Covar. Reg. Peccatum. S. 4. & favet Navar. c. 20. nu. 18. cum aliis quibusdam apud Sanchez. l. 1. consil. c. 8. dub. 13. n. 6.*

TITULUS XIII.

De præscriptionibus.

Vite, & ingenio humano inventa est Usucapio, & Præscriptio, tum ad vitandam litium multitudinem, tum ad castigandam socordiam illorum, qui bonorum suorum curam non habent: unde possessiones incertæ, & confusio dominorum ptornant. Cautum propterea multis legibus est, ne bona ecclesiastica in alienas manus per Usucapionem, aut præscriptionem transeant: qui modus conservandi res Deo consecratas inter potissimos numerari debet.

§. I.

Quid sit præscriptio, & Usucapio?

PRæscriptionis nomen Iuris periculis tribus ferè modis usurpant, *Primo* pro exceptione, quæ opponitur ad excludendam actionem ab Adore intentam, quæ exceptio cum sit vel dilatoria, vel peremptoria, facit, ut Præscriptio quoque dilatoria, aut peremptoria sit *ff. de excep.* Iuxta eundem sensum Tertullianus librũ de præscriptionibus adversus hæreticos

Tit 3

com 7

cōposuit, ea adferens, quæ Catholicis hæreticis velur litem intentantibus opponere possunt. *Secundò* sumunt pro exceptione peremptoria, quæ oritur ex eo quod tempore legibus definito rem aliquam possidemus, vel iure aliquo usi sumus, vel quod alius tali tempore ab usu alicuius iuris cessaverit, quemadmodum declarat. *Covar. in Reg. Possessor in it. §. un. n. 4. & colligitur ex C. de præscript. lon. temp. & de præscript. 30. & 40. annorum. Tertio* accipiunt pro dominii acquisitione, vel alieni iuris extinctione ex tempore legibus definito proveniente. Ita agrum, hortum, domum, aliamve rem præscribere dicimur, id est, illius dominium acquirere. Et sic non in iure civili tantum, sed Canonico quoque & utriusque iuris interpretibus sumitur, ut *lo. cit. Covarr. monet*, Nam qui continuata possessione dominium alteri cuius rei comparat, à priore domino conventus præscribat, id est, opponere certi temporis possessionem, qua rem suam fecerit. Hinc Vscapio ipsa, & dominii acquisitio cœpta est appellari præscriptio, cum tamen ex usucapione præscriptio oriatur. *l. Emptor. 7. C. de præscr. lon. temp.* Præscriptio igitur iuxta primum modum est exceptio adversus actorem, secundo modo exceptionis species, ea nimirum, quæ peremptoria vocatur. Tertio modo dominii acquisitionem, & alieni iuris extinctionem significat. Vscapio verò est *acquisitio dominii per continuationem temporis lege definiti. l. 3. ff. de Vscap. intellige causaliter.* Formaliter enim videtur esse possessio quædam rei alienæ. Dicimus enim Vscapionem interrumpi. Potest nihilominus accipi etiam pro acquisitione formali dominii nemo enim

dicatur res usu cœpisse, nisi earum dominium acquisierit. Unde colligitur, latius patere Vscapionem, quam præscriptionem tertio modo consideratam, quia omnis Vscapio est præscriptio, sed non contra. Nam præscriptio, qua extinguuntur actio personalis aut realis alterius, non est propriè Vscapio, cum tamè sit præscriptio. *Conanus l. 3. c. 11. n. 1. & 2. Schneidev. l. 2. Instit. 11. 6.* Qui autem ita distinguunt, ut Vscapio rerum mobilium, sit præscriptio immobilium, præter iuris civilis intentionem agunt. Nam immobilium quoque Vscapionem esse patet ex *Instit. de Vscap. & l. un. C. de Vscap. ransform.* Similiter in rebus mobilibus præscriptio locum habet. Synonyma igitur sunt. *Sobr. V. Præscriptio n. 1. Vallens l. 2. tit. 26. §. 1. Barb. in Rubr. de Præscrip.*

II. Præscriptione rigore iuris introductam esse contra æquitatem naturalem disputat in *summa Cod. §. Pro empt. & Bald. in l. Ancillam. n. 11. C. de furtis.* Melius alii inventam dicunt naturali æquitate luggerente propter utilitatem publicam, ne lites fiant immortales, & incerta bonorum possessio. *10a. Andr. Ancharanus & Frac. in c. Possessor dereg. iur. in 6. Menoch. illust. c. 51.* Quamobrem iure Canonico acceptatur, & usurpatur, ut patet ex *com. tit. de Præscript. l. 2. Decretalium.* Et quod ritè fuerit præscriptum, sine peccato retinetur, etiam si postea cognoscatur esse alienum, quia, ut Armilla loquitur, ratione legum rationabilium factus est dominus rerum legitime præscriptarum secundum. *Caietanum in summa, & Domin. Soto l. 4. de Instit. q. 5. art. 4. §. Posterior conclusio.* De qua re latius infra.

III. Præscriptio triplex est. Alia brevis, alia

alia longi, alia longissimi temporis. Brevis est triū, aut 4. annorū. Longi decem annorum inter præsentēs, & viginti annorum inter abfentes. Dicuntur autem præsentēs, qui in eadem Provincia existunt, aut melius hodie, qui in eadem civitate, ut notat *Gloss in l. cum in longi C. de præscript. longi temp.* quia sicut olim Provinciarū, ita nunc singulæ civitates suis legibus, & peculiari administratione reguntur. Temporis longissimi est 30. aut 40. annorum. Possēt etiam dividi secundum res aut bona, quorum dominia mutantur, sed nimia eorum varietas non admittit. Saxones autem duas tantum species agnoscunt, quarum altera annalis est, & aliquot dierum, pro rebus mobilibus: altera ad res immobiles, & incorporales pertinet annorum 30. & aliquot mensium. *Schneiderv. l. 41. ff. 11. 3.*

§. II.

De conditionibus ad præscriptionem necessariis.

I. AD præscriptionem vulgò quatuor conditiones exiguntur, supposita nimirum capacitate activa personæ, & passivæ rei, quod pro quinta ponitur à *Bona. To. 2 p. 418.* Prima conditio est possessio. Secunda bona fides. Tertia titulus. Quarta tempus à lege præscriptū. *Offic. n. 1. & 6. Silv. V. præscript. Zerola & alii Summ. eod. Barb. in tit. de præscr. init.* Necessariam esse possessionem, aut quasi possessionem civilem intelligi, patet ex c. *causam qua. 7. & c. cum olim. 18. de præscript. Instit. eod. §. 1. l. sine ff. de usurpation. & præsc.* ubi clarè. Sine possessione usucapio contingere non potest: intellige, ut præscri-

bens sibi non alteri possideat c. *si quis qui. 15. h. t.* ad eò ut tantum præscriptum, quantum possessum est, dicatur. Et possessio continua sit. *l. 3. & l. nunquam 31. §. 1. ff. eod.* ita ut ante tempus definitum nullo momento interrumpatur. c. *illud 8. c. auditio 15. hoc tit. l. naturaliter §. ff. eod.* Si interrupta fuerit, sive per naturalem interruptionem, quæ extinctione possessionis contingit, sive per civilem, quam litis contestatio, & citatio parit. *l. cit. naturaliter l. nemo C. de acquir. poss.* Usucapio effectum sortiri non potest. Continuat autem possessio etiam in pluribus & diversis personis, quæ cum bona fide sibi invicem succedunt. *l. un. ci. si. C. de usucap. transfor. Azor 111. l. 1. c. 17. Molin. Disp. 60. V. Vesenbec. l. 41. ff. c. 3. Tuschus Concl. 532.*

II. Requiritur secundo loco Bona fides, id est, credulitas, seu persuasio qua quis prudenter credit, & persuadet sibi rem esse suam, aut saltem non esse alienam, ut si putet, eum, à quo accepit, fuisse Dominum, cum non esset, vel jus transferendi habuisse. *l. Bona fidei ff. de verb. signif. c. Mala fidei possessor. de Reg. iur. in 6.* in cuius Regulæ expositione diximus, ad eò necessariam esse conditionem hanc, ut non tantum lub inchoatæ possessionis initium, sed totius temporis lapsu in bona fide esse debeat absque ulla interruptione, & notitia contraria, qua in re Jus Civile à Canonico correctum sit. *Valent. III. D. §. q. 6. pun. §. §. quarta conditio.* & secundum hanc Canonum dispositionem judicari in Camera Spirensi, teste *Andr. Gaill. l. 2. obs. l. 2. §. num. 10.* DIXI prudenter credendum esse. Nam persuasio ex ignorantia crassa aut prava cupiditate nata, bonæ fidei nomen non meretur. Nec

Nec iuris manifesti error excusat, ut si cōtractum Usurarium feceris, rem quasi donatam à prodigo, pupillo, vel religioso accipias. *l. iuris. & l. error. ff. de in. & fa. ign.* quamvis eiusmodi error sufficere aliquando possit ad præscribendos alicuius rei fructus. *Nav. l. i. conf. 6. tit. de off. iud. l. sed et si s. scire ff. de petit. hered.* Nam qui circa fructus errat, non iuris, sed facti ignorantia laborare videtur, existimando, se ex re sua fructus capere: quam facti ignorantiam ad præscribendum prodesse ex *l. iuris & di. l. Error. pater. Silv. V. Præscriptio §. 4. Armilla n. 4. Mol. disp. 64. Medina q. 17. Less. c. 6. D. 5. Fill. tr. 31. c. 8. num. 189. Soto l. 4. de iust. q. 5. art. 4. Connanus l. 3. c. 13. n. 1. & 2.*

III. Quod titulum attinet, præsumptus sufficit, qui tamen verus esse credatur ab eo, qui rem possidet. Talis enim titulus censetur habilem illum reddere ad inchoandam, & continuandam præscriptionem. Quocirca nunc pro emptore, nunc pro legato, nunc pro dote, nunc pro suo, & similibus, licet verus titulus absit, iusti erroris causa admittitur. Usucapio, ut si dixeris mihi, fundum, quem tradis, te patri meo vendidisse, cum non vendideris. *l. Ancillam ff. pro suo.* vel rem mihi legatam esse, cum legata non sit. *l. fin. ff. Pro legato.* Sed an iure Canonico etiam titulus necessarius sit, ambigitur propter. *c. ad aures & c. si diligenti. h. r. & c. Episcopum in 6. ubi traditur, sufficere bonam fidem, nec titulum requiri, nisi præsumptio vel jus commune sit contra præscribentem. Verum ipse textus capitis Episcopum. circa fin. satis indicat, loqui de præscriptione non qualibet, sed ea cuius contrarii memoria non extat. Nam tam longi tempo-*

ris diurnitas non sinit nos esse memores initii causæ aut tituli præscriptionis. Regulariter itaque non iure Cano. sed civili quoque præscriptio longioris temporis quam ordinarii, puta, 100. annorum tituli necessitatem tollit. *Covar. ad Reg. Possessor. §. 5. n. 2. & alii apud Barb. in c. Dudum. de decimis. & c. Episcopum cit.* ubi etiam notat inter longum, & longissimum tempus non differre, & sufficere annos 40.

IV. Quarta conditio est, certi, ac definiti temporis continuatio, quod tempus pro varietate rerum varium est. Res mobiles corporales non furtivæ, privatorum hominum præscribuntur possessione bonæ fidei cum titulo per triennium inter præsentes, & quadriennium inter absentes. *l. Quas actiones. C. de Usucap. Melonius Tit. 42. n. 1. l. un. C. de usucap. reform.* Sine titulo 30. annis. *l. Si quis emptoris C. de præscript. 30. annor.* Contra ecclesiam præscribitur eodem tempore. *Auth. quas actiones. C. de sacros. eccl. c. ult. & penult. 16. p. 3.* Sed an etiam contra Ecclesiam Romanam? Affirmat *Molina, & eum secutus Less. l. c. D. 7. Barb. in c. Illud de præscr.* quod probabile est, nisi obstant verba Authentice citatæ. Quas actiones &c. quibus Romana ecclesia excipitur, & centum annorum spatium pro Usucapione indigere insinuat. Obstare autem & hodie contra Ecclesiam Romanam solâ annorum 100. Prescriptionem currere demonstrat. *Barb. in c. Cum vob. h. r.* Res immobiles privatorum præscribuntur possessione bonæ fidei cum titulo per decem annos inter præsentes, & 20. inter absentes. *l. Cum in longi. C. de præscr. longi temp. c. Sanctorum h. r. & est comm. DD.* Porro in hac materia longum tempus censetur esse

esse annorum decem inter præsentem: viginti inter absentes: longissimum 30. & 40. annorum. Si contingat aliquem præsentem esse V.g. quinque annis, & postea fiat absens ad præscribendum requiruntur adhuc decem anni: quia unus annus præsentis respondet duobus annis absentis. At sine titulo tam inter præsentem, quam absentem præscriptio fit 30. annorum *l. si quis emptionis. C. de præscr. 30. ann. & c. ult. de præscr. Melonius Tit. 42. nu. 14.* Iura, debita, & actiones rebus immobilibus annumerari solitæ contra privatos præscribuntur eodem tempore, quo res aliæ immobiles, nisi iure aliquo particulati diversum quid sanciat. *l. Clarus §. fin. qu. 5. nu. 1.* Quamobrem, ut particularia videamus.

1. Beneficium ecclesiasticum cum titulo colorato præscribitur eodem tempore, id est, 10. annis inter præsentem, & 20. annis inter absentes. Si titulus desit, non præsumitur bonæ fidei possessio. *Glo. c. ult. Contingit. de dolo, & contum. Nec titulus ad beneficium unquam præscribitur, quia beneficium sine institutione canonica non obtinetur. Reg. 1. de Reg. Iuris in 6. Sed triennis possessor absque Simoniaci ingressu contra actionem cuiuslibet possessoris præscribit iuxta regulam Cancellariæ Romanæ 33. non solum fructus, sed etiam proprietatem. Nav. Consil. 40. & 41. de præben.*

2. Ius patronatus ex tutiori sententia, quia de præiudicio ecclesiæ præsumitur, annis 40. præscribitur de quo amplius in §. 4.

3. Emphyteusis ecclesiastica contra privatum, eo modo, quo res immobiles præscribitur *Covar. §. 5 n. 6. Barb. in c. ad audientiam h. 1.*

4. Eodem modo servitus personalis, cuiusmodi est *Vsufuctus. l. ult. C. de longi temporis præscript.* Idem dicendum de reali cum titulo, ex ead. l. & communi apud *Covar. l. 1. Var. c. 17. n. 11.*

5. Actiones civiles iure communi præscribuntur 30. annis, & similiter debita exigibilia iis actionibus, cum bona fides adest. *l. Sicut in rem. C. de præscr. 30. annor. De exceptis n. seq. videbimus.*

6. Mancipium libertatem præscribitur spatio annorum viginti cum bonâ fide inter absentes, & præsentem. *l. 2. C. de longi temporis præscript.*

7. Contra Ecclesiam Romanam inferiorem, & pia loco in quibuscunque bonis immobilibus non nisi 40. annis fit præscriptio. Contra Romanam verò annis centum *Barb. in c. illud de præscr.* Ordinū quorundam religiosorum, ut S. Benedicti, & consortium privilegium est, ut non breviori, quam 60. annorum tempore præscribatur.

NOTA. In his omnibus præscriptionibus annorum 40. & ultra regulariter non est necessarius titulus. *V. Barb. l. cit. Tanner. l. 3. Tr. 1. c. 8. n. 13. Tholos. l. 40 c. 7.*

V. Licet annis 30. actiones reales, & personales iuxta *l. sicut in rem C. de præscr. 30. & 40. annorum.* præscribi possint, multæ tamen breviori tempore extinguuntur, & adversum eos, quibus competunt, præscribuntur.

Nam 1. Actio reip. contra quæstores & administratores, postquam rationes subscriptæ, & expunctæ sunt, præscribuntur ab ipsis annis 20. & ab hæredibus illorum annis 10. *l. in omnibus ff. de diversis temporal præscriptionib.*

2. Actio redhibitoria ad recuperandum

dum precium, quando error causam contractui dedit, contra emptorem præscribitur 6. mensibus computandis à die, quo error innotuit. In conscientia verò venditor ob dolum non liberatur: si bona fide egit, precium triennio usucapit

3. Actio quanti minoris, ad partem pretii recuperandam, quam noluisse dare, si vitium scivisset, excluditur unius anni spatium. *l. i. & sequentes ff. de adil. edi. l. excipe, si Ecclesiæ cōpetit, aut pio loco. Tunc enim 40. anni requiruntur ad excludendam. Anth. quas actiones. C. de sacros. eccles.*

4. Episcopus locum alterius episcopus à se fidei Catholica restitutum triennio post pacificam possessionem præscribit. *c. Placuit. 6. q. 3. c. 1. de præscr.*

5. Iniuriarum actio unius anni lapsu extinguitur. *l. si non convivis. C. de iniuriis. Panorm. c. Ea noscitur, n. 4. de sent. excom.*

6. De aliis criminibus quoad pœnam extinguitur annis 20. *l. Querela C. de falsis. Iudex tamen ex officio procedere potest contra infamatum. Excipe adulterium, quod quoad pœnam criminalem, & civilem præscribitur annis quinque. l. Adulter. C. ad le. 1. de adulter. Quoad divornum verò ne petatur, nulla præscriptio fit. c. Admonere. 33. q. 2.*

NOTA. In criminibus impediens executionem ordinis, vel beneficii retentionem etiam post peractam pœnitentiã, non valere præscriptionem, nec accusationem illorum claudi præscriptione legali tradit. *Anton de Butr. Imola, & Abb. in c. Inquisitionis. de accus. licet in aliis etiam Canonescum legibus, quoad terminos præscriptionis conveniant. V. Boer. de off. 26. n. 7.*

7. Actio ad reclamandum contra pro-

fessionem extinguitur quinquennio iuxta dispositionem. *Concil. Trid. S. 25. de regular. c. 19.*

8. Actio quod metus causa in minore unius anni spatio extinguitur: in maiore verò, quando prima occasione oblata eam neglexit. *Panorm. c. si quis autem. n. 2. de Regularib.*

Contra actiones quædam non nisi 40. annis extinguntur, eiusmodi est actio hypothecaria, quæ respectu extranei quidem tollitur 30. annis, at contra creditorem, eiusque hæredes non extinguitur, nisi annis 40. Requiritur autem in debitore bona fides, se non debere, & ut tanto tempore post diem solutioni assignatum, creditor non exegerit. Nisi autem possideat, qui non est, debitor, nec hæres illius (ut si vendita est, ignorantibus hypothecam esse) tollitur decennio inter præsentis, & 20. annis inter absentes. *l. cum notissimi 7. C. de præscript. 30. annor. Covarr. ad reg. Possessor. par. 3. §. 3. Oldendorp. Classe actionum 3. classe actione 10. Less. c. 6. D. 11. Tuschus concl. 574. & sequ.*

9. Actio Filii adversus reum ob nō solutum vectigal, aut simile delictum propter cōfiscationem bonorum, à reo, & hæredibus illius quinq; annis à die commissi præscribitur. *l. 2. C. de Vectigalib. & commissis. Qui verò propter aliud crimen, puta, perduellionis ob incestas nuptias reus est, non potest ea præscribere: alii tamen si hæredes sint, sive non, ad quos bona deveniunt, contra fiscum similiter quinquennio præscribunt, excepto crimine hæreticos. l. 2. cita. Covar. in Epito. 4. Decretal. par. 2. c. 6. §. 8.*

10. Legata & fideicommissa adversus legatarium, & fideicommissarium non nisi

nisi 30. annorum spatio præscribuntur. *l. nlt. C. Communia de legatis. Covar. l. cit. Thol. l. 40. c. 5. Less. c. 6. dub. 11. n. 39. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. Fill. tr. 31. c. 8. Schneidev. l. 2. Inst. tr. 6. V. Vesenbec. l. 44. ff. tr. 3.*

De bonis Principum.

I. In Principe duas personas considera- mus, Publicam, & Privatam, & eatenus duplicia bona illi conveniunt. Nam quæ privatus, iure cum civibus communi utitur, adeoque non minùs contra illum, quam alium quemlibet præscriptio procedit. Nec ratio ulla suadet, plus illi, quam clericis in hoc genere tribuendum esse, contra quos in bonis propriis usucapionem nemo non agnoscit.

II. At quatenus Magistratum gerit triplicis generis bona possidet. Quædã coronæ annexa sunt, ut Vrbes, castra, prædia, & similia. Quædam debentur tributi nomine. Alia pœnæ per confiscationem lam quæ ad coronam pertinent, præscriptionem non agnoscunt, nisi annorum centum, ut colligitur ex *l. Ut inter divinum 23. C. de sacros eccles* ubi in præscribendo legato, donato, vel empto contra civitates exiguntur centum anni; multò magis igitur contra Regnum, & provinciam aliquam. Imò Gallorum Iuris Consulti præsertim hoc tempore contendunt, provincias, & immobilia bona regni sic annexa coronæ esse, ut nullo regis contractu aut promissione avelli queant: ita- que esse omnia in cõtrarium pacta. Quod si verum est, ex iure particulari, lege aliqua scripta vel non scripta proveniat, necesse est. *Tholos. l. 40. c. 2. n. 5. allegans Constitutionem Franc. l. Anno 1539* At verò potestas indicendi vectigal, instituendi tabel- liones, legitimãdi, nobilitandi, & similia,

quæ regaliũ nomine comprehenduntur, à subditis cũ titulo spatio annorum 40. sine titulo per tempus, cuius initium ignoratur. *Pan in c. cum nobis. de præscript. & est communis sententia.* Simili modo præscribuntur bona fisco tradita leu incorporata, id est, 40. annis. Vnde quod in *Res fisci. dicitur institut. de Usucapionib* Res fisci uti capi non posse, intelligendum est de tempore ordinatio, quo res privatorum præscribuntur; puta, tribus, decem, aut viginti annis. *Falbus de præscript. pag. 477 Az. 111. l. 1. c. 23. Tuscibus concl. 570.*

III. Ea quæ in recognitionem subiectionis, & supremæ potestatis debentur regi, aut principi, uti sunt tributa, census, & similia, non admittunt præscriptionem, nec quisquam eximere se suo arbitrio, & viribus potest. Idem de potestate imperandi, iudicandi, corrigendi, & puniendi dicendum est, quia censetur intrinsecus, & suo modo essentialis, ita, ut sine illa nihil, quam merum, & nudum nomen princeps esset. Non repugnat tamen præscribere exemptionem, & libertatem, per quã quis designat esse subditus in temporalibus, Principis verò est, ad id vigilare, & contradicere, quo interrumpatur vel ab initio opprimatur conatus præscribendi. Idem de præscriptione meti & mixti Imperii dicendum. *Covar. s. 3. n. 3. Less. D. 12. Az. 111. l. 1. c. 23. Tholos. lo. cit. Azor 111. l. 1. c. 20.*

IV. De legibus ita iudicandum est. Quæ civiles sunt, annorum decem consuetudine præscribi, nisi constet prius in non observantiam Principem consensisse. Nam si vel explicitè, vel implicitè seu tacitè consentiat, per dissolutionem multo breviori tempore extingui lex potest, ut communiter Theologi & Cano-

nistæ docent. *Covar. l. 1. Var. c. 17. Barb in c. cum tua. de consuet.* Alia ratio legum ecclesiasticarum est. Nam si aliquo modo contra ius ecclesiæ tendat præscriptio 40. annorum lapsus requiritur. Sin minus probabile est in recepta semel lege, ut præscriptione tollatur, decennium, ut in civilibus sufficere. Nullibi enim legimus inter civiles, & ecclesiasticas leges ullum discrimen, quoad hoc, fieri: nec ratio apparet, cur negligentia, & conniventia in ecclesiastico magistratu non sufficiat, quemadmodum in sæculari sufficere omnes fatentur. *Abb. in c. Cum contingat, de foro comp. c. cum non liceat. Less. D. 14. nu. 49. Covar. Reg. Possessor. p. 2. §. 2. n. 9. & 10. Fill. tr. 31 c. 9. n. 201. Laym l. 3. Tr. 1. c. 8 n. 6.* addens à subdito præscribi posse partem aliquam iurisdictionis, quæ alioquin communi iure Superiori competit cum bona fide præscribere. Vg Capitulum, ut in prima instantia suos Canonicos, & officiales iudicare possit. Sed requiritur ad hoc possessio temporis immemoralis, vel quadragesima annorum cum titulo colorato, quando quidem præsumptio juris suffragatur Principi, vel episcopo, quemadmodum. *Covar. supra citatus annotavit, & desumitur ex. c. 1. de prescription. in 6. V. Prolegom §. 9. d. Consuetudine.* Plura de præscriptione iurisdictionis, Imperii meri, & mixti ex allegatis auctoribus more suo compendiosè memorat.

Trentler Vol. 1. Disp. 3. n. 7.

*Melonius Tit. 42.
num. 26.*

(*)

§. III.

Quinam præscribere possint.

I. **Q** Vicunque possidere rem suo nomine potest, etiam præscribere potest; qui verò pro alio possidet, non præscribit. *c. Si diligenti. de præscrip. cuiusmodi est colonus, usufructuarius, creditor quoad pignus, emphyteuta, conductor, commodatarius, & qui precario possidet. Instit. Per quas person. nob. acquir. §. V. usufructuarius. l. Nec creditores. C. de pignor. act. c. Quia cognovimus. 10. q. 3. & c. clerici. 16. q. 3.* Fidei igitur remotis, præscribitur. Paternam, & filiosam. præsertim miles, quod in castris acquirit: præterea in quali castrensibus, & adventitiis quoad proprietatem. *l. Sequitur. ff. de usucap. 2. præscribit pupillus. l. cit. §. 2. etiam sine tutore, modo habeat animum possidendi. §. Infans, sed tutore auctore. l. 32. §. 2. ff. de acquir. poss. 4.* Furiosus, quæ ante furorē possidere cœpit, usucapit. *di. l. sequitur. §. 5. Ostien. in Sum. h. r. n. 3. §. 5.* Servus non sibi, sed domino suo usucapit, quia pro eodem possidet. Pro hærede, aut iure hæredis nunquam usucapit, quia vel instituitur hæres iassu domini, & sic non ipse, sed dominus per eum usu capit, vel absque eo adit hæreditatem, & sic nihil facit. *l. Sequitur. ff. de usucap.*

II. Mala fidei possessor, ut ex *nu. 2.* liquet, nullo unquam tempore præscribit: neque hæres ipsius immediatus, quamvis ignoret, mala fide illum possidisse. Cum enim fictione juris una persona censetur, & possessio in illo continuari, eodem vitio tenetur. *l. Cum hæres 11 ff. de divers. temporal. præscript. §. Diutina. Instit. de usucap. ubi*

cap. ubi habes. Si ille (*defunctus*) initium juris non habuit (id est, si mala fide cepit possidere) hæredi, & bonorum possessori licet ignoranti possessio non prodest. Idem dicitur in *l. ult. C. communia de usufructu*. Nihilominus, si conscientia statum consideres, non videtur deneganda illi præscriptio annorum 30. numerando à die, quo ad eum bona cum ipsius fide possessio pervenit. Neque obesse potest præsumptio, quæ leges civiles nituntur, quia censetur desinere in novo possessore, qui eam bona fide accipit, & sic acceptam eadem fide continuat. Ita sentiunt Bart. Dynus, Bellamera, Alexander Confil. 110. num. 7. & alii per Baldum relati Mynsing. Decade 5. Consilio 48. Layman. l. 3. tract. 1. c. 8. num. 18. Lessius c. 6. Dub. 13. num. 42. Molin. Diss. 65. Treutler. Vol. 2. Diss. 22. n. 6.

III. Qui alio titulo, quàm hæreditatis, puta, donati, legati, empti &c. à mala fidei possessore rem accipit, præscribere potest tempore ordinario, exceptis duobus casibus. Primus est, si res immobilis sit, & is, contra quem præscribitur ignoret, eam ab alio possideri. *l. Authentica mala fidei C. de long. temp. præscr.* Secundus est, si res furtiva sit, aut vi possessa. Tunc enim ad præscribendum 30. annorum spatium requiritur. *Instit. de præscript. §. Furtiva. l. an vitium ff. de diu. tempor. præscr. ubi dicitur*, fidem auctoris non obesse emptori, vel legatario. Nam in ejusmodi eventu mala fides auctoris non circa proprietatem. Sed solam rei possessionem versatur. *l. pupillus ff. de his que in frau. creditor.* Quod si contigerit, rem possessoribus vacare, usu capi poterit ordinario tempore per eum, qui emerit, vel dono acceperit ab usurpatore. *§. quod autem*

Instit. de usufructu. Neque enim furtiva, neque vi possessa est. Quanquam hoc Jus correctum videri potest *Novella 119. c. 7. ubi Iustinianus*. Si verus alienatarum rerum Dominus, & quod ei res competunt, & quia alienatio facta est, non aliter hunc excludi (sancimus) nisi per tricennale præscriptionem, non valente dicere eo, qui res hoc modo possidet, quia ipse bona fide possidet, quando ipse à mala fide possidente hoc accepit. *Schneidewin. l. 2. Instit. tit. 6. num. 66.*

IV. Contra actionem personalem præscribi posse, ita ut denegetur actio creditori, qui certo tempore non exegit debitum probabile videtur *Adriano quodl. 6. art. 3.* quem sequitur *Lessius Dub. 6. num. 20.* allegans *Caroli V. auctoritatem*, qui Anno 1540. *Bruxellæ* statuit, ut famuli mercedem exigant intra biennium, à die, quo desierunt servire, alioqui non possint eam petere in iudicio nisi scripturam producant. Verum per hoc non liberatur quisquam in conscientia ab obligatione, qua justam mercedem famulis suis debet. Imò, si constaret in foro externo, mala fide non solvisse, condemnandus esset. Nam scienti malam fidem suam nulla præscriptio currit. *V. Card. Lugo D. 7. Sect. 4.*

V. Certi & indubitati juris est, inchoari non posse præscriptionem à dubio, & accipi animo, sed an superveniens inchoatæ præscriptioni dubitatio impediat illam, dubitatur. Nec desunt affirmantes, inter quos *Major, Adrianus, & Soto l. 4. de just. quest. 5. art. 4. versu superest ergo tandem*. Sed hodie contraria sententia obtinuit, sufficere post adhibitam sufficientem diligentiam nescire rem alienam esse.

Quod colligitur ex *c. ult. de præscript.* In nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam. & *c. si Virgo 34. q. 1.* In iure prædiorum tamdiu unusquisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum. Consonat *Gloss. in c. ult. h. t. Abb. Medina Covar. Silv. Navarr. Molina Disp. 63. Sanch. l. 2. de matr. D. 41. Suar. Tom. 11. de relig. l. 4. c. 5. Less. c. 6. Dub. 3. Ratio Manifesta est. Quia in dubio melior est conditio possidentis, de cuius Regula vi, & extensione post alios consulendus est. Franc. Bardus de conse. dubia discursu 5. cap. 4.*

VI. Qui ignorantia juris laborat, etiam invincibili non præscribit *l. 31. ff. de usucap.* Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. *l. 4. ff. de jur. & facti ign.* Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat. Contrarium *Medina docuit C. de restitut. quest. 17.* eò quòd ignorantia Juris bonam fidem adfert. Sed meminisse poterat, non sufficere bonam fidem Theologicè id est, bonam conscientiam, si adsit mala fides civiliter, id est, quæ vitium aliquod ex lege habet, quæ præscriptioni resistit. Nam *l. quemadmodum C. de agricolis, & censitis* dicitur. Male fidei possessorem esse nemo ambigit, qui aliquid contra legem mercatur: adeò ut usucapere non possit. Excipe 1. nisi sit ignorantia juris dubii, de quo nimirum variæ Doctorum sententiæ sunt. *Nav. l. 1. Consil. 9. de off. Iud. ordinarij.* Excipe 2. Si ignorantia juris civiliter in culpa censeatur, qualis est in milite, in minore 25. annis, & rustico non habente, quem consulat. *Molin. l. 2. de primogen. c. 7 n. 69 Less. D. 5. num. 17.* Excipe 3.

Præscriptionem quoad fructus. Nam qui inculpate existimat, jus sibi competere, fructus rei à se bona fide possessæ capere potest. *Bart. in l. sed etsi §. scire ff. de petit. hered. Layman. l. 3. tract. 1. c. 8. num. 11.* Præterea sciendum est, licet ignorantia juris præsertim clari, non proffit, ad præscribendum, prodest tamen, ubi de damno vitando agitur, teste *Papiniano l. 7. ff. de jur. & fam. ign.* Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus; suum verò petentibus non nocet. Quocirca, si contingat rem plenè præscriptam à te per errorem restitui Domino nunc primum cognito, in iudicio repetere poteris, tanquam indebitè solutum. Nam in *l. omnes C. de præscr. 30. vel 40. armer.* expressè dicitur eum, qui usu cœpit, plenissima munitione securum esse, videlicet, ut à nemine impugnari possit, & ipse nemini propterea obstrictus sit, dominio relictæ per legitimam usucapionem in utroque foro ad te translato. *Abb. in c. cum non liceat de præscr. Glo. Abb. Cajet. Soto Covarr. Felinus. Andreas. Fachinau l. 8. c. 28. Molina Disp. 61. & 64. Mo in tract. 2. Disp. 64. Concl. 1. Fill tract. 31. c. 9. num. 201. Layman. l. 3. sect. 5. tract. 1. c. 8. Palao tract. 31. D. un. pun. 8. Dynus in Reg. Iur. 11. in 6.* Ignorantia facti non Juris excusat. Ubi non tantum prodesse docet ignorantiam Juris, cum de vitando damno agitur, sed etiam cum lucrum appetimus, quod videlicet absque alterius injuria comparari possit. Contrarium *Medina tenet C. de rest. quest. 17.* existimans in foro conscientie ignorantiam invincibilem nemini obesse. *Palao loco cit.*

§. IV.

Quæ res præscribi possint.

I. Uscapiuntur & præscribuntur res omnes corporales, sive ex mobilibus sive immobilibus sint: illæ quidem per triennium, hæc verò per longi temporis possessionem. *Instit. de usucap. §. 1.* Incorporales quoque ut superius diximus; nisi aliqua lege, aut speciali ratione earum usucapio & præscriptio impediatur. Prohibentur autem

1. Res usibus publicis addictæ, ut forum, theatrum, via publica, & similia. *l. usucapionem ff. hoc tit. l. præscriptio C. de opere pub. l. diligenter C. de aquæ ductu.* Et obtinet hoc quamvis populus, & civitas prænominatis locis non utatur.

2. Res sacræ & religiosæ, loca & jura Ecclesiastica *Instit. de usucap. §. 1.* quia ejusmodi res à commercio hominum sejunctæ sunt. Si autem contingat ex sacra re profanam fieri, puta hostium improbitate, usucapi poterit *cum loca ff. de relig. & sumpt. fun.* Jura Ecclesiæ idè Laici non præscribunt, quia illa possidere nequeunt. *c. causam de præscript. Zypaus l. 1. de jurisdic. Eccles. c. 37.*

3. Jus decimarum post Concil. Later. à Laico non potest præscribi propter eandem causam. *c. cit. causam* Jus patronatus verò in Ecclesia non libera, sed jure patronatus grava: à alius contra alium præscribere potest spatio annorum 40. *Generali. c. querelam de elect. in 6. & c. consultationibus de jure patron. v. Barbof. in c. Cura de jure patron.*

4. Licet titulus beneficii Ecclesiastici non præscribatur, ut §. 2. n. 17. diximus

possessor tamè adversus eum, qui verum titulum habet, tempore ordinario præscribere potest. *Glo. in c. conting. de dolo, & contum. Panor. ib.* Requiritur autem in hac præscriptione bona fides, & titulus coloratus, seu verosimilis. *Cov. in reg. possess. par. 2. §. 10. n. 9. Balb. de præscr. par. 3. q. 10.*

5. Contra obedientiam Superioribus debitam, visitationem, & procuracionem, quæ ratione visitationis competit, nulla præscriptio vires habet. *c. cum non liceat h. t. Con. Tr. s. 24. c. 3. de reform.* Fieri nihilominus potest, ut jus visitandi à Capitulo contra Episcopum præscribatur, secundum doctrinam *Azor part. 2. l. 3. c. 40. q. 8 & part. III. l. 1. c. 20.*

6. Res indivisè communis pluribus ab uno sociorum non præscribitur. *l. communem ff. quemadm. servitus amitt. v. Boer. Decis. 58.* Denique non præscribuntur, quæ meræ facultatis sunt, ut fœsus explicat. *Gaill. l. 2. obs. 18. de reliquis v. supra §. 2. Tusch. concl. 534.*

§. V.

Quando dicatur præscriptio non procedere, dormire, & interrumpi.

I. Non procedere præscriptionem dicimus, quando ob impedimentum aliquod non incipit, vel non potest incipere. Hujus quatuor modi inveniuntur. *Primus*, si desit possessio civilis. Sola enim naturalis minime sufficit. *l. sine Possess. ff. de usus Thol. l. 40. c. 4.* *Secundus*, si titulus desit, ut non potest inchoari præscriptio, nisi tricennalis, & quæ illà major. *Tertius*, si bona fides absit, ut ex dd. §. 3. liquet. *Quartus*, si res prohibita sit alienari, ejusmodi est fundus dotalis, legatum, fideicommissum, bona adventitia filii,

fili. *Institut quibus alienare licet. Schneide-
vvin. l. 4. tt. 6. §. de Publiciana VVesenbec. l.
44 ff. tt. 3. Axor l. 7. Summ. §. 39. Vallens. l.
2. tt. 26. & 2. & sequ.*

II. Præscriptio dormire censetur, quā-
do postquam inchoata est, aliquanto
tempore cessat, eoque finito, quasi resur-
git, & cum præcedenti tempore conti-
nuatur. Sic dormit 1. tempore belli, quan-
do leges & fora silent, homines aliò fu-
giant. 2. tempore pestis, quo inter cives
magna ex parte commercia languent. 3.
Contra Ecclesiam, cessat, quando Re-
ctore viduata est. 4. quando agere non
potest is, contra quem inchoata est, qua-
les sunt pupilli usque ad annum ætatis
suz decimum quartum expletum in ma-
re; in femina autem duodecimum; uxor
item vivente marito. *Castro Palao tract. 31.
Disp. un. pun. 22. § 16. Tholos. l. 40. c. 6. num.
10. & sequ.*

III. Interruptio generatim loquendo
duobus modis contingit, primò natura-
liter, secundò civiliter. *Connanus l. 3. c. 14.
n. 1.* Naturaliter interruptitur, cum in-
cipit deesse conditio aliqua ad præscri-
bendum necessaria, possessio nimirum,
aut bona fides. Civiliter, quando per actū
aliquem judicialem, puta litis contesta-
tionem interpellatur. Triennalis tamen
non interruptitur litis contestatione;
sed si condemnatur præscribens, restitue-
re tenetur: secus retinere exacto trien-
nio potest. Decennalis, vicennalis, & tri-
cennalis litis contestatione interrupti-
tur. Si tamen actor succumbat, vel litem
deserat, non censetur interrupta. Simili-
ter, si nō nisi animo interruptendi præ-
scriptionem moverit litem. Quod si litem
contestari quis non potest, protestatio

coram viris idoneis, & querimonia ad
interruptionem proderit. *V. Balbum tr. de
præscr. q. 6 Raym. & Silv. V. præscriptio. 12.
Armillam eod. Tuschum Conclus. 386 Vallens.
lo. cit. Antonin. part. 2. tt. 1. c. 15. §. 7. Tholos. l.
40. c. 6. Less. c. 6. Dub. 16.*

§. VI.

*De restitutione in integrum adversus
præscriptionem.*

Illis, qui damnum ex præscriptione a-
missis bonis suis perpeffi sūt, hoc medio
restitutionis uti licet, & interpellata Ju-
diciis auctoritate petere, ut in priorem
statum reponantur. Est enim rescissoria,
vel restitutoria actio, qua rem nostram
ex alienis manibus domum revocamus,
& recipimus. Convenit autem 1. minori-
bus ætate, qui viginti quinque annos
nondum explerunt. *l. 3. & 5. C. de in inter-
est. 2. Ecclesiz, & piis locis, licet 40. anno-
rum præscriptio sit. Glo. & DD. in Authen.
quas actiones C. de Sacros. Eccles. V. excludun-
tur. Ecclesia enim habet privilegium mi-
norum, estque instar minoris & pupilli,
ut DD. tradunt in c. 1. & 2. de rest. in inte-
grum lib. 6. Nec interest sciverint, vel non
sciverint præscriptionem, potuerint im-
pedire, vel non minores, & Ecclesiz Cor.
ad Reg. possessor. part. 3. §. 3. n. 3. quia propter
imbecillitatem ætatis, & mentis privile-
gium illud minoribus concessum est, &
inde ad Ecclesiam, & pia loca extensum.
Conceditur autem per quatuor annos
postquam sciverint completam adver-
sum se præscriptionem esse. *l. fin. C. de tem.
in integ. restit. 3. majoribus ætate etiam
permittitur prædicta restitutio in præ-
scriptione decem, & viginti annorum,
dummodo**

dummodò cum iusta, & probabili ignorantia sua, aut omnino absque negligentia sua constet, præscriptionem factam esse. Ignorantia enim sufficiens causa reputatur ad restitutionem concedendam, quemadmodum Bald in l. 1. nu. 24. C. qui admittit ad bonor. possess. Anchar. Consil. 70. n. 3. Curtius Senior in Consil. 82. n. 2. Felin. in c. Vigilanti de præscr. Gail l. 2. obs. 19. n. 18. vocans communem opinionem. Iisdem maioribus quatuor anni dantur pro tempore utili, sicut minoribus. At in præscriptione 30. & 40. annorum à prædicto beneficio excluduntur. Quia tanti temporis lapsus negligentiam arguit majorè,

quam cui favor, & gratia ulla tribuenda sit. V. Tusch. Concl. 587. & V. restitutio in integrum Concl. 289. DD. in c. 1. & 2. de restit. in integr. Molin. Diss. 80. Less. c. 6. Dub. 18. Laym. l. cit. c. 8. ci. fin. Regim. l. 10. nu. 300. & 301. Greg. Lopez l. 1. 8. tit. 29 par. 3. Palao l. cit. §. 17. etiam 30. aut 40. annorum præscriptionem maioribus concedendam esse probat, contra quàm Cova. & alii nonnulli faciendum contendunt. Idem de probabili ignorantia asserit. n. 4. Secutus Comitolum, qui l. 7. q. 17. omnino persuadere nititur, ignorantiam præscriptionem non obesse. Contrarium verò leges præsumunt.

TITULUS XIV.

De immunitate Ecclesiasticâ.

Immunitas Ecclesiastica est Jus, quo loca, res & personæ Ecclesiasticæ à cõmuni onere, seu obligatione liberæ, & exemptæ sunt: alibi libertas, & exemptio vocatur. arg. c. adversus de immun. Ecclesiar. DIXI, loca, res, & personas pluraliter, quia unius alicujus particularis loci vel hominis exemptio immunitatis Ecclesiasticæ nomen non meretur, quando hæc universitatem, & statum generaliter concernit. Triplcem esse assignata definitio indicat. 1. dicitur localis, quia Ecclesiis, & similibus locis religiosis tribuitur. 2. realis, quæ rebus & bonis convenit. 3. personalis, quæ personis Ecclesiasticis debetur. De hac immunitate nonnulla in Parte primatit. l. §. 4. diximus, quibus hic reliqua addemus. V. Vallens. l. 3. Decretal. tit. 49. Azor To. 11. l. 9. c. 10.

§. I.

De immunitate locorum sacrorum.

Immunitas Ecclesiarum consistit Primò in cõ, ne in illis celebrentur emptiones, venditiones, negotiationes, & nundinæ; item universitatum, & quarumcunq; Societatum concilia, coitiones, & publica parlamenta, multò minùs fœda, & profana colloquia, & quæcunq; alia, quæ divinum officium perturbare possunt, abstinendum quoque à litibus, & judiciis sæcularibus, præsertim criminalibus, quæ sanguinis pœnam irrogent. c. 1. & c. Cum Ecclesia h. r. c. cessent eod. in 6. Alia illorum ratio est, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, ut manumissio, colla-

Xxx

t o